



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Art. I. De Obligatione ad Residentiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)



TITVLVS IV.

De Clericis non Residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

Non solum ad exemplaris vitæ honestatem, sed ad diligentiam quoque in Divino officio, propter quod beneficium datur, c. *fm. de Rescript. in 6.* Clerici obligantur: quæ diligentia præcipuè Residentiam in Ecclesia & in Divinis Officiis præsentiam exposcit.

ARTICVLVS I.

De Obligatione ad Residentiam.

SUMMARIUM.

1. Residentia est mansio in loco beneficii.
2. Causa personaliter præstandi officii.
3. Quod tamen aliquando per Vicarium obitur.
4. Ad residentiam jure tenentur beneficiati omnes.
5. Ab ea Simples saepe eximuntur vi Consuetudinis.
6. Prævalentis Juri Ecclesiastico, quò ad illam tenentur.
7. Curati residere tenentur eodem.
8. Imò & Divino jure.
9. Ab ipsis Pastoralem curam & assistentiam exposcente.

10. Ab ea vi nullius Consuetudinis.
11. Dispensatione tamen Apostolicâ aliquando liberantur.
12. Ut animarum curam Vicario committere valeant.
13. Duo beneficia obtinens, in eo, quod curatum est.
14. Si tale utrumque, in digniori, aut frequentiori.
15. Si omnino paria sint, in quo vult, residere potest.

Et autem Residentia Mansio sive assiduitas commorationis in Ecclesia seu loco beneficii, causâ servitii Ecclesiastici personaliter præstandi, Laiman Lib. 4. tract. 2. cap. 6. n. 1. Secundum quam definitionem, ut Prælati, parochus, canonicus &c. in Ecclesia vel beneficio suo propriè & ad effectum percipiendorum fructuum residere censeatur, satis non est; quòd in ejus loco per intervalla, aut etiam assiduum moretur; talis enim in eo commoratio præcipuè Residentiæ effectus est constituta: sed insuper necessarium est; ut id faciat ob causam servitii, v.g. curæ & vigiliantia pastorali, administrationis Sacramentorum, officii divini in Ecclesia persolvendi personaliter; nam residentia propriè dicta laboriosa est, non otiosa,

otiosa, ut colligitur ex *c. Relatum 4. c. Conquerente 6. Ec. Covarruvias Lib. 3. Var. cap. 13. n. 3.* & Barbosa de Off. Episc. alleg. 53. n. 20. Quare canonicus in loco sui canonicatus quidem constanter manens, sed in choro & capitulo nunquam comparens, beneficii fructus ratione residentie competentes percipere, salvâ conscientia, non potest; quia ejus mansio in loco sui canonicatus & Ecclesie præcipuo sine & effectu residentie omnino est destituta, Sylvester *V. Residentia n. 1.* & Laiman *cit. n. 1. pr.*

Quantumvis autem hæc ita sint, ejusmodi tamen canonicus in loco beneficii causâ servitii præstandi manens, licet aliquoties, aut etiam sæpius, & non sine culpa à Divinis absit, solas Distributiones præsentie seu assistentie in choro respondentis: non etiam fructus, ut vocant, grossos ratione Residentie debitos amittit: dummodo in choro & capitulo interdum, præsertim, cum vocatur, vel auxilio ejus opus est, se sistat, & horas Canonicas recitet privatim; quia ejus mansio in loco residentie sine non omnino caret, Laiman *l. cit.*

3. Imò alicubi Consuetudo obtinuit; ut canonici in choro præsentis, licet non per se, sed per substitutos vicarios psallant, pro verè residentibus & præsentibus habeantur: dummodo Horas recitent privatim. Quam Zypæus *Analyf. Jur. Pontif. hac Rubr. n. 28.* non irrationabilem esse existimat; quòd decantatio, præsertim si figurata sit, sic magis sit decens & acerrata, prout etiam advertit Laiman *cit. cap. 6. n. 2.*

4. Porro ad Residentiam personalem in suis Ecclesiis obligantur Imprimis omnes clerici, obtinentes beneficium, cui annexa est cura animarum, ut sunt Patriarchæ, Primates, Archi- & Episcopi, Abbates, Præpositi, Priores, Pa-

rochi & alii curati, & quicumque dignitatem, personatum & officium obtinentes, ex decretis Conciliorum Lateranensis, relati *c. Quia nonnulli 3.* & Tridentini *Sess. 6. c. 23. utrobique cap. 1. de Reformat. & Constit. Pii IV. quæ incipit In suprema edita Calend. Decemb. 1564.* Deinde, canonici Ecclesiarum Cathedralium & Collegiarum, & quicumque in his obtinent dignitatem, præbendam vel portionem, *c. Cum ad hoc 16. & Trident. Sess. 24. cap. 12. V. Præterea de Reformat.* Demum, spectatò Jure communi, ad eandem adstringuntur clerici & quicumque beneficia Ecclesiastica etiam simplicia, quamvis tenuia, habentes, *c. Quia cit. c. Conquerente 6. c. Adhac 13. de Præbend. & dignit. Ec. Glossa in c. Conquerente cit. V. Deserviat. Panorm. in c. cit. n. 3. Azor p. 2. Instit. lib. 7. cap. 3. q. 1. & Garcias p. 3. de Benef. cap. 2. n. 1.*

Dixi, *Spektato Jure*; quia universalis Consuetudo passim obtinuit, ut in multis hujusmodi beneficiis non resideatur, Gonzalez in *Reg. 8. gloss. 15. n. 26.* & Laiman *l. cit. n. 2.* sed beneficiatus, v.g. capellanus, ad tria sacra in capella hebdomadatim legenda obligatus, nisi fundatio, statutum vel specialis usus aliud exigat, obligationi huic per alium satisfacere queat, Garcias *cit. cap. 2. n. 10.* id Rotæ decis. &c. confirmans. Imò clerici habentes solùm Præstimoniam, hoc est, quasi stipendia temporanea, quæ subsidii loco, v.g. ad studia prosequenda dantur, licet ad horas Canonicas vel Officiû B. Virg. privatim recitandum obligentur, Ecclesie tamen deservire, neque per se, neque per Vicarium tenentur, Azor *cit. Lib. 7. cap. 3. q. 2.* Ubi

Dubium &, sicut olim vix ulla, sic temporum subinde novos, sed præcisè rarò meliores, mores inducentium iniquitate ce-

rate celebris controversia hodie est de Jure, quò ad residentiam clerici beneficiati adstringuntur. Et beneficia quidem simplicia obtinentes ad residendum per se ipsos Jure solum Ecclesiastico teneri, facile convenit inter DD. Eòdem, non
 7. Divinò aut Naturali Jure ad personalem residentiam in Ecclesiis suis Episcopos, parochos, ceterosque curatos adstringi, si non primò, saltem tanquam propriam causam operosè defendit Ambrosius Catharinus in *Apolog. de Residentia contra Sotum*. Primò; quòd de obligatione illa ullus textus vel præceptum in Sacris literis non extet. Secundò; quòd dioceses & parochiæ institutæ non sint à Christo, sed ab Ecclesia: quæ proinde uni designatam alteri regendam committere, & illum à residentia liberare poterit. Tertio; quòd obligatio ad personalem residentiam tolli valeat Consuetudine, secundum Navarrum *Consil. 2. de Cleric. non resid.* quæ tolli nequeunt præcepta Juris Divini & Naturalis, c. *fin. de Consuetud.* Quartò demum; quòd, si ea Episcoporum & Parochorum obligatio esset Juris Humanò altioris, in ea dispensari à Papa non posset, *arg. can. Inferior 4. dist. 21. Sc. Cum inferior 16. de Majorit. & Obed.*
 8. Sed recedendum non est à doctrina VV. eam residendi obligationem magno consensu refundentium in Jus Divinum: quam cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 21.* Cajetano *2. 2. q. 185. art. 5.* Caranza *Traët. de Residentia Episc. cap. 2.* Soto *Lib. 1. de Justit. q. 3. art. 1.* Valquez *Opusc. de Benefic. cap. 4. §. 2. n. 121.* Moneta *de Commut. ult. volunt. cap. 4. n. 94.* & plerisque alicujus nominis ac notæ RR. à Barboza *de Offio Episc. alleg. 53. n. 2.* relatis, latè ac solide defendit Fagnanus in c. *Ex parte 8. hac Rubric. à n. 21.* quòd id ex geminâ S. Synodi Tri-

dentinæ Propositione planâ & necessariâ sequelâ inferatur. Una est, *Præceptò Divinò mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, & bonorum omnium exemplò pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam gerere & in cætera munia pastoralia incumbere, Sess. 23. cap. 1. pr. de Ref.* quæ Propositio de gregis sui agnitione liquet ex illo Proverbiorû, *Agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera, cap. 27. v. 23.* de Doctrina & verbi Divini prædicatione apertè traditur à S. Paulo, qui, *Va mibi,* inquit, *si non evangelizavero,* 1. Corinth. *cap. 9. v. 16.* & *Oportet Episcopum esse Doctorem Sc. 1. Timoth. cap. 3. v. 2.* de vitæ exemplo patet ex S. Gentium Doctoris admonitione, *In omnibus præbe te ipsum exemplum, ad Titum cap. 2. v. 7.* & verbis ipsius Servatoris, *Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona,* Matth. *cap. 5. v. 16.* de cura, & pastoralis muneris impletione à laudato Apostolo traditur in Actis Apostol. *Attendite vobis & universo gregi, cap. 20. v. 28.* &, *Tu verò vigila, in omnibus labora ministerium tuum imple,* 2. Timoth. *cap. 4. v. 28. Sc.* Altera S. Synodi Propositio continetur verbis primæ immediatè subjeëtis, *Qua omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assunt, sed mercenariorum more deserunt:* quæ habetur *pr. cit. & Sess. 6. cap. 1. V. Impleat de Reformat. & ex lumine & principiis Juris Naturalis est nota.* Unde consequens est, Episcopos, parochos & cæteros curatos gregi suo invigilare & assistere, eumque non deserere; ac proinde in Ecclesiis suis personaliter reside-
 re Jure

9. re Jure Divino teneri. Quod confirmatur; quia verbum *Assistere* ultra vigilantiam & sollicitudinem pastorem, verbò *Invigilare* expressam, denotat & exigit præsentiam corporalem: & verbum *Deserere* propriè acceptum talis præsentiae subtractionem ac recessum significat, ut rectè observat Fagnanus *l. cit. n. 31.*

Neque à sic stabilito VV. sensu recessum persuadent, aut illum accipitem faciunt, allata pro Opinione & causa Catharini.

Primum; quia, licet Sacris literis expressa non legantur verba, *Episcopi, parochi & Curati resideant*, residere tamen ii jubentur per æquipollentia, quæ relatis & similibus textibus habentur.

Alterum; quia, estò diœcesium ac parochiarum divisio, earumque assignatio commissa sit Ecclesiæ, supposita tamen earum partitione, commissione ac retentione, in iis residendi obligatio Divini Juris est ratione muneris Pastoralis, poscentis assistentiam, curam & vigilantiam præsentis.

10. Tertium; quia ejusmodi Consuetudo etiam immemorialis pro corruptela habetur *cit. Sess. 23. cap. 1. cit. in fine* & merito; cum non appareat, quomodo licentia non residendi in beneficiis curatis esse queat consona rationi; cum regulariter ex ea absentibus pastoribus Ecclesiæ patiantur damnum, & animarum cura per alios minùs sollicitè administratur, Covarruv. *Lib. 3. Var. cap. 13. n. 9.* & Jordanus *Lucubrat. Lib. 10. tit. 40. n. 69.*

Quartum; quia per accidens hæc Divini Juris obligatio aliquando cessat; cum enim causa, propter quam Episcopi & curati alii ad residentiam Jure Divino obligantur, sit salus animarum, pro quibus animam etiam suam ponere tenentur, Joan. *cap. 10. v. 11.* ideo, si a-

nimarum saluti & Ecclesiæ melius, aut faltem æquè bene per vicarium doctrinâ & autoritate præstantem provideri queat, poterit Episcopus & alii curati ad procurandum Ecclesiæ aut etiam propriæ personæ bonum abesse, salvò Jure Divino, cujus obligatio tali casu cessat, S. Thomas *2. 2. q. 185. art. 5.* Manet tamen eò casu obligatio Juris Ecclesiastici, *c. Quia nonnulli cit. & Trident. Sess. 6. & 23. cap. 1. cit.* in quo Sedes Apostolica potest & sæpe solet dispensare vel declarare, quòd Juris Divini obligatio ob mutatas circumstantias in particulari aliquo casu vel persona cesset: sicut facere potest & frequenter solet in Votis ac Juramentis, S. Thomas *Quodlib. 9. art. 15. cit.* Covarruv. *cap. 13. n. 9.* Valquez *cap. 4. n. 122.* & Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 6. n. 3.*

12. Confirmantur ista imprimis ex quotidianâ & nota praxi Episcoporum, præsertim habentium valde amplas diœceses, ea etiam, ad quæ secundum Tridentinum obligantur Jure Divino, ferè implentium per idoneos Vicarios aliisque Officiales & Mendicantium Ordinum Religiosos: quæ praxis ægrè defendi posset, si præceptò Divinò ea etiam, quando æquè bene aut melius possunt per alios, præstare tenerentur per se ipsos, Deinde ex eo; quòd Episcopi & ceteri curati privilegio & dispensatione Apostolica à personali residentia aliquando liberentur ac deobligentur, nec rarò unus idemque obtineat duos vel plures Episcopatus vel parochias, licet in utraque vel pluribus simul nequeat residere.

13. Dubium secundò est, in quo residere debeat, qui obtinet duo beneficia residentiam exigentia. Qua in re frequentiori DD. calculò approbata & usù recepta est distinctio inter tres casus. Primò enim, si unum beneficium sit cu-

f

ratum;

- ratum, alterum simplex, vg. canonicatus etiam Cathedralis, residere debet in curato; quia hoc casu non tam dignitatis beneficii, quam necessitatis animarum ratio est habenda, ex *Constitut.* Pii V. quæ incipit *Cupientes*, edita *idibus Jul.* 1568. *cit.* Garcias p. 12. cap. 2. n. 40. Gonzalez *gloss.* 6. n. 70. & Barbofa *de Offic.*
14. *Parochi cap. 8. n. 12.* Secundò; si utrumque parochiale vel simplex sit; residere debet in digniore: aut, si dignitas sit aequalis, in frequentiore: & si utriusque frequentia par, sed unum in civitate, alterum extra eam sit situm, in civitate potius quam extra hanc residere debet, *cit.* Garcias p. 3. cap. 2. n. 179. Barbofa n. 8. & Palao *Tract.* 13. *disp.* 5. p. 2. n. 2. perhibentes id à S.
15. *Congreg. declaratum.* Tertiò, in dubio de frequentia & dignitate, tam beneficii quam loci, in quo hoc est situm, in arbitrio beneficiati erit, ubi velit residere: quod ab iisdem declaratum est, teste Garcia *cit.* n. 179. apud Palao *cit.* n. 2. & Barbofam *de Offic. Episc. alleg.* 53. n. 82.
20. *Qui tamen aliter puniuntur, quam amissione fructuum.*
21. *His tamen privantur Canonici ultra tres menses absentes:*
22. *Nisi speciali Ecclesia Jure defendantur.*
23. *Amisio fructuum sententiam declaratoriam non exigit.*
24. *Absentia etiam Jure permessa exigit causam,*
25. *Et in parochia licentiam superioris:*
26. *A quo longior absentia permitti potest ex justa causa:*
27. *Quales sunt I. Christiana Charitas.*
28. *II. Urgens Necessitas.*
29. *III. Debita Obedientia.*
30. *In obsequio Episcopi duo Canonici Cathedralium:*
31. *Non etiam Collegiarum Ecclesiarum abesse possunt.*
32. *IV. Evidens utilitas.*
33. *Studiorum causa quinquenniò curati olim:*
34. *Et verisimilius in Germania hodie quoque,*
35. *Sicut & simplices beneficiati abesse possunt.*
36. *Causa utilitatis publica Episcopi & alii prelati,*
37. *Non tamen, ut Principi in curia serviant,*
38. *Sive licentia Papa abesse possunt.*
39. *Alia pena Jure statuta in Episcopos,*
40. *Et curatos inferiores, in Ecclesiis suis non residentes,*

ARTICULUS II.

De Causis excusantibus à Residentia, & illegitimè absentium Pœnis.

SUMMARIUM.

16. *Residentia non obest brevè absentia ab Ecclesia:*
17. *A qua Episcopus ultra permittos tres,*
18. *Et parochus ultra duos menses absentes, amittunt fructus.*
19. *Ultra duos illicitè absunt Prepositi Regularium:*

16. Beneficia, etiam curata, obtinentibus Ecclesiasticò & Divinò Jure imposita obligatio residendi tam stricta non est; ut Episcopi alique curati, & multò magis beneficiati simplices, ab Ecclesiis ex rationabili causa ad breve saltem tempus abesse non possint: dum-